

www.e-rara.ch

Ludovici Ellies Du Pin Methodus studii theologici recte instituendi

Du Pin, Louis Ellies

Augustae Vindelicorum, 1722

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: R Ri 165

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-35974>

[Praefatio.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



*Lectori candido atq; Benevolò
Interpres*

S.

E Am nunc demum libri
hujus translationem oculis tuis
perlustrandam exhibeo, de quâ
sæpius hucusque, crebris loco-
rum longè disjunctorum mutationibus im-
peditus, frustra cogitavi. Liber hicce,
An. 1716. Parisiis sub hoc titulo prodiit:
Methodè pour etudier la Theologie &c. & qui-
dem suppresso Auctoris nomine; cui tam-
en Celeberrimi Du-Pinii, Doctoris olim
Sorbonici, qui An. 1719. die 6. Maji supre-
mum diem obiit, nomen præfigi, sine
cunctatione debuit: partim, quod ipsi in re
litteraria versatissimi Viri laudatum modo
Du-

PRÆFATIO.

Du-Pinium genuinum operis hujus auctorem esse, palàm asserunt. Fecit hoc post celeberrimos Actorum Eruditorum Collegios Lipsienses eruditissimus maxumque nclutus Dn. D. *Pfaffius*, Cancellarius Tubingensis, in elegantissima de Præjudiciis Theologicis dissertatione priore, §. 9. Partim quod ipsa libri hujus inspectio, è stilo scribendique modo reliquis laudati Auctor. scriptis similimo, tum rebus ipsis quas profert, tractatis facile nos convincit, non alius esse librum, quam Du-Pinii: At vero quid refert, tam sollicitè in illius nomen inquirere, qui procul dubio tutius latere voluit anonymus. In vulgus enim notum est, scriptorem nostrum in multis nobiscum facere, & ob apertam veritatum quarundam professionem non ab omnibus Romanæ Ecclesiæ addictis eodem pretio atque loco haberi, imprimis apud Summum Pontificem male audivisse, cujus odium Jesuitæ pro more ipsi conflaverant, adeo ut in publicis litteris, quas *Breve* vocant, inobedientem eum Ecclesiæ filium nominaverit. Ut nihil nunc de remotione ejus ab officio, atque exilio dicam, cum casu quodam Jansenismi accusaretur, Jesuitarum hypothésibus antea admodum insensus, cum peculiari libro sequentes

PRÆFATIO.

theses perfrictæ frontis Socii defenderent: Papam ejusdem cum ipso *JESU-Christo* infallibilitatis esse, Papam non solum in questionibus fidei, sed facti quoque esse infallibilem: quas, & alias hypotheses principiis fidei & Reipublicæ securitati contrarias ex ipsis cordationibus Pontificiis Doctoribus imprimis *Petrus Nicolius* in scripto de *Heresi imaginaria* solidissime refutavit. Quamvis postea, ne ex gremio Ecclesiæ suæ tanquam *Hereticus* eiceretur penitus, palinodiam ex parte cecernerit; nullam tamen in scriptis suis occasionem facile prætermisit, quin veritati egregiis litaret victimis; id quod in nostro quoque libro subinde fecit: e. g. commendavit Scripturæ Sacræ lectionem omnibus, tanquam summe necessariam; ab omnibus postulat Theologis solidissimam Ebraicæ atque Græcæ linguæ notitiam; plus vice simplici in crassam plurium Monachorum ignorantiam graviter invehitur; ab inani illo sterilique Scholasticorum Theologorum, Philosophiam juxta ac Theologiam tradendi modo cordate dehortatur; Protestantium quoque selectiora scripta allegat, atque sæpius haud obscure laudat, immo suæ Ecclesiæ innutritis interdum suasor est, ut si ad supremum eruditionis Theologicæ culmen

PRÆFATIO.

culmen eniti serio voluerint, Protestantium quoque melioris notæ scripta legisse sedulo, necesse putent. En, candide Lector, hæc & permulta alia Romanæ Ecclesiæ placitis parum grata atque congrua; quæ prout ego arbitror in causa fuerunt, cur præclarissimus Auctor nomen suum silentii peplo involverit, ne scilicet vulnus ipsi antea inflictum denuo recrudesceret. Cæterum ut propius ad libri hujus dijudicationem accedamus, fatendum equidem est, permultos hæctenus libros de Studio Theologico rectè instituendo publicæ luci expositos esse, quorum præcipuos *Jo. Gersonem, Desiderium Erasmus, Melchiorem Canum, Andr. Gerhardum Hyperium & P. Mabillonium* ipse Clarissimus Auctor in subsequenti sua præfatione allegavit; & quod in eo magnopere prædicandum, nec Hyperio Religionis Pontificiæ desertori debitæ laudis quidquam detraxit, sed cumulavit potius, in Villavicentiam Hyperii turpem plagiarium fortiter detonando. Majorem autem hæc de re scriptorum numerum apud *Thomam Crenium* offendes, qui copiose eos undique conlegit. At nec multitudo horum librorum, utut in immensum excreverit, dignitati libri hujus quidquam surripit,

PRÆFATIO.

quippe qui exquisita rerum diligentia, nitida stili elegantia, concinna scribendi methodo, divitique eruditionis, imprimis historiae litterariae Theologicae adparatu, ceteris omnibus palmam non solum dubiam reddit, sed etiam præripit. Exinde facile colligere est, supra cum laude nominatum D. *Pfaffium* haud abs re, nec incaute optasse, ut aliquis librum hunc *ob summam elegantiam* (sunt ipsius l. c. verba) in Linguam Latinam converteret. Noli autem putare, nihil in hoc libro jure desiderari posse; passim obvia habebis, quæ criticum, vel ut veteres loquuntur, Grammaticum examen omnino sustinere debeant, quæ nonnisi adperso sale sint recipienda, quæve negari prorsus rejicique veritas jubeat: atque ab his quidem eo certius, tibi cavebis, quo crassiora sunt, dudumque à nostratibus Theologis solidissime refutata. Quis enim ex discipulis est, quem divinorum librorum in rebus ad salutem pertinentibus sufficientia fugiat? ad solos hos, & nullibi ad traditiones humanas, disertum DEI mandatum fert, ut in rebus fidei confugiamus, in eorumque placitis tanquam unicâ salutis nostræ anchorâ placide adquiescamus; ad hos, minime

vero

PRÆFATIO.

vero ad traditiones referri potest, quod Paulus 1. Tim. I. v. 15. ait *πᾶσης ἀποδοχῆς ἄξια* omnibus modis digna esse verba illa, quæ recipiantur &c. Ex provectioribus vero quis est, cui ex Historia Ecclesiastica non satis innotescat, *Traditionis Idolum* ab auri sacra fame, à credulitate, ignorantia filia, à fraudulentia, nec non à præjudicio obtentæ antiquitatis & auctoritatis exstructum atque confirmatum esse? Quis denique est vel ex ipsis Romanensium castris, qui argumentis validis & inconviectis (nugas enim & aniles fabulas, eodem jure, quo gratis asseruntur, rejicimus) comprobaverit hanc vel illam superstitosam, ne quid durius dicam, traditionem apud Viros Apostolicos obtinuisse, certoque ab Apostolis sine ullo additamento ad eorum posteros illibatam provenisse? At vero, ne latius hunc in campum ex spatiemur, non modo brevitas studium, quod præfationi imprimis convenit, prohibet, sed & ipsius auctoris nostri candor ac modestia; quæ utinam aliis quoque adversariorum similiter cordi esset! sic multa certè verborum litigia atque vehementiores contentionum æstus dudum fuissent suffocati. Ad translationem, quod attinet, meum non est,

PRÆFATIO.

vel qualicumque elogio eam efferre, vel abjectiore animo ac diffidenter de eadem sentire; illud saltem absque jactantiæ crimine affirmare ausim, duo ista extrema, in qua permulti interpretes incidere solent, qua fieri potuit diligentia me evitasse, nimirum quod ad idiotismos Gallicos atque Latinos animum semper attendens ex neutra parte majorem æquo libertatem mihi sumserim, ita ut nec affectata nimium latinitate à verbis auctoris longius discederem illiusque sensum aliorsum inflecterem, nec auctoris vestigia serviliter nimium premendo germanæ latinitati vim inferrem, ejusque nativam formositatem inusitatis, obscuris, minusque Latinis verbis deformarem. Num ubique hæc adsecutus sim, solidiori linguarum notitia instructi, per me libere judicabunt. Quod reliquum est, Lector candide atque benivole, vale iterumque vale.

M. Jo. Mart. Christell.

Auctoris